



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

De jejunio & delectu ciborum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

Œcul. XVI.
A. C. 1527.

De Jejunio & delectu ciborum.

Circa hoc argumentum Erasmus arguebatur, sequentem tenuisse sententiam: *Mihi purioris Christianismi videtur, magisque consentaneum Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ, si nulli certum cibi genus præscribatur, sed admoneantur omnes, ut quisque pro corporis habitu vescatur, quæ maxime conducunt bonæ Valetudini, non ad luxum, sed ad sobrietatem cum aditione gratiarum ac studio bonæ mentis.*

Hæc propositio, inquit Facultas, Ecclesiasticam disciplinam evertit, ac Aerii, Joviniani, Valdensium, & Lutheri hæresi consentit.

Præterea hanc in rem Erasmus scribebat: *Approbo, quod dicis: esca non commendat nos Deo, quid enim illius refert piscium, an quadrupedum, an volatilium carnibus vescamur? Nihil enim horum pietati quicquam vel addit, vel adimit. Horum delectus superstitiosum facere potest, pius nequaquam, Christus nullum horum discrimen docuit; proin temeritatis sit, si quis homunculus conetur quemquam hujusmodi constitutionibus onerare, pro suo quisque corporis affectu vescatur, quibus velit, modo sobrie, parceque super omnibus gratias agens Deo.*

Tristia

*Tristia sunt jejunia, quæ præscribit lex, Sæcul. XVI;
 & ob hoc ingrata Deo, qui diligit hilarem* A. C. 1527.
 datorum.

Omnes hæ propositiones damnantur tanquam hæreticæ, temerariæ, Ecclesiæ legibus injuriosæ, erroneæ, & S. Literis contrariæ.

De Juramento.

De hac materia quinque propositiones referuntur, quarum prima est: *Lex Evangelica, quo tutiores sint homines a perjurio, prorsus damnat omne jusjurandum, ut jam fas non sit jurare.*

II. *Christus in totum vetat jurare.*

III. *Christus prohibet jurare, quod non prohibuerat lex prior.*

IV. *Non minus est Christianus simplici verbo obstrictus, quam Judæus per omnia sacra dejerans.*

V. *Non opus est in contradictibus admiscere jusjurandum, execrationes, aut aliud simile, quod & promittentem obstringat metu, & stipulanti faciat fidem.*

Ex his prima & secunda damnantur tanquam *Legi Evangelicæ, ejusque Legislatori Christo injuriosæ, & a sana Scripturæ intelligentia alienæ, de damnata Catharorum, Valdensium, aliorumque hæreticorum doctrina desumptæ.* Tertia dicitur erronea, eoquod eadem sint præcepta mo-